HIERONYMUS

Salzburg, Ende 11. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Hoc uas electionis loquitur et de illo profert thesauro qui confidenter aie-
bat: an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? Hoc ille pronun-
ciat qui libere sub persona sua fragilitatem humani corporis fatebatur.
Non enim quod uolo bonum hoc operor, sed quod nolo malum [hoc facio] et propterea subi-
cio et redigo in seruitutem corpus meum, ne aliis praedicans ipse reprobus effici-
ar. Si ille timet, quis nostrum potest esse securus? Si dauid amicus domini et sa-
lomon amabilis eius uicti sunt qui sunt homines, ut et ruinę nobis quas
ad cautionem et penitudinis ad salutem exempla praeberent, quis in lubri-
ca uia lapsum non timeat? Procul sint a conuiuiis tuis phasides aues,
crassę turtures, attagen ionicus et aues omnes quibus amplissima patrimo-
nia auolant. Nec ideo te carnibus uesci non putes si suum, leporum atque cer-
uorum et quadrupedum animantium esculentias reprobes. Non enim haec nu-
mero pedum sed suauitate gustus iudicantur. Scimus ab apostolo dictum: omnis
creatura dei bona, et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed
idem loquitur: bonum est uinum non bibere et carnem non manducare. Et in alio
loco: Vinum in quo est luxuria. Omnis creatura dei bona est. Audiant haec mu-
lieres quę sollicitę sunt quomodo placeant uiris. Comedant carnes quę car-
nibus seruiunt, quarum feruor despumat in coitum, quę ligatę mari-
tis generationi ac liberis operam dant. Quarum uteri portant fetus,
earum et intestina carnibus impleantur. Tu uero quę in tumulo mariti sepe-
listi omnes partiter uoluptates, quę lita purpurisso bysso et cerussa faciem
super feretrum eius lacrimis diluisti, quę pullam tunicam nigrosque calceo-
los candidę uestis et aurati socci depositione suscepisti, nihil habes ne-
cesse aliud nisi perseuerare in ieiunio. Pallor et sordes gemmę tuę sunt. Plu-
marum mollities iuuenilia membra non foueat. Balnearum calor nouum
adulescentię sanguinem non incendant. Audi quid ex persona uiduę